



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1525. usque ad annum 1529

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118480

§. 73. Cæsar ex Hispania Genuam delatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66472)

Ruberiæ restituetur, eidemque cedetur Sæcul. XVI. A.C. 1529.
 Ferrariensis Ducatus, ac denique Mediolanensis Ducis caussa summo Pontifici tanquam judici examinauda committetur. VIII. Adimpletis hisce conditionibus Papa Cæsari diploma de iusta Regni Neapolitani possessione concedet, ac deinceps nivei tantum coloris equum quotannis tributum nomine ab eodem accipiet. IX. Cæsaris exercitui Papa permittet, ut libere per ditones Pontificias transire possit. X. Cunctos, qui in Romanæ Urbis spoliatione partem habebant, a Censuris solvet, necnon Carolo V. ejusque fratri Ferdinando concedet, ut ad sustinendos belli Turcici sumptus intra suas ditones quartam Ecclesiasticorum proventuum partem impendere valeant.

§. LXXIII.

Cæsar ex Hispania Genuam delatus.

Hoc foedere ita Urbevete concluso Cæsar totus in eo erat, ut ad suscipiendum iter necessaria disponeret; hanc in rem præprimis Isabellam Imperatricem Conjugem suam nominabat Hispani Regni Gubernatricem, sui que Filii Philippi Tutricem, postea vero exeunte Mense Julio iter aggrediebatur,

*Ant. de Vera
 hist. de Charles V. p. 173.*

Sæcul. XVI. tur, comitantibus eum præcipuæ No-
A.C. 1529. bilitatis Proceribus, qui solemnibus ejus-
dem coronationi assisterent. Vix Bar-
cinonem advenerat, cum quinque De-
putati, qui in præfata urbe Senatorum
vices agebant, Cæsari significarent, apud
eos in more quidem positum esse, quod
Regibus, quos excipiunt, nec obviam
procederent, nec ex equis descende-
rent, dum illos recipiunt, atque offi-
ciosa salutatione honorant: nihilominus
cum Regum suorum hucusque nullus
Cæsarea simul dignitate insignitus fuis-
set, ideo hac in re se lubenter id omne
executuros, quod Cæsareæ Majestati suæ
præcipere placuerit. Prompta hac ob-
sequendi voluntate Carolus magnopere
delectabatur, simulque Deputatis hunc
in modum reponebat: „ Ut ex equis ve-
„ stris in terram descendatis, haud pe-
„ to; pluris enim facio, me esse Bar-
„ cinonensium Comitem, quam Roma-
„ norum Imperatorem. „ His dictis in-
tegro biduo in præfata urbe diversatus,
ibidem ratum habuit fœdus, quod An-
tonius de Leva Urbeveti die vigesima
sexta Junii cum summo Pontifice ini-
bat. Equidem Ciaconius pluresque alii
Scriptores hæc gesta fuisse referunt ex-
eunte Mense Junio, attamen inspecta
die, qua Cæsar Barcinonem venisse di-
citur, hujus fœderis approbatio non-
nisi

*Ciacon. t. 3.
pag. 460.
Daniel hist.
de France
t. 5. p. 623.*

nisi ad initium Mensis Augusti revocanda videtur.

Sæc. XVI.

A C 1529.

§. LXXIV.

Pax Cæsarem inter & Galliarum Regem Genuæ stabilita.

Dies erat nona Augusti, cum Imperator matutino tempore primo Hispanæ, demum Italicæ classis navem prætoriam conscenderet. Huic præerat Andreas Auria, qui ad primum Cæsaris ingressum in Principem Melfitanum evehctus est. Navigabat Imperator ventis admodum secundis, menseque Augusto ad medium vergente feliciter Genuam pervenit, festivis plausibus ac populi acclamationibus exceptus; ex tota enim Italia frequens erat hominum concursus, qui omnes Principem totantisque virtutibus conspicuum cerne-re certabant. Cum vero Imperator, priusquam Madrito excederet, provide jussa daret, ut singulis diebus accurate de pacis cum Gallis conciliandæ negotio edoceret, hinc per nuntios Cameraco Genuam missos percepit, quod die quinta Mensis Augusti fœdus esset firmatum, opera duarum Principum, quæ erant Margaritha Belgii Gubernatrix ac Caroli V. amita & Ludovica de Sabaudia Francisci I. Mater. Ha-
rum